

ISSN 1973-5049  
ISSN ELETTRONICO 1974-4870  
ISBN 978-88-6227-138-7

# SULLA TRADIZIONE INDIRECTA DEI TESTI MEDICI GRECI

ATTI DEL II SEMINARIO INTERNAZIONALE DI SIENA  
CERTOSA DI PONTIGNANO  
19-20 SETTEMBRE 2008

A CURA DI  
IVAN GAROFALO, ALESSANDRO LAMI  
E AMNERIS ROSELLI

BIBLIOTECA DI «GALENOS» · 2.

OFFPRINT



PISA · ROMA  
FABRIZIO SERRA EDITORE  
MMIX

Direttore / *Editor*

IVAN GAROFALO

Redazione / *Secretary Board*

ISABELLA ANDORLINI, DANIELA FAUSTI, KLAUS-DIETRICH FISCHER,  
STEFANIA FORTUNA, IVAN GAROFALO, ANNA MARIA IERACI BIO,  
ALESSANDRO LAMI, NICOLETTA PALMIERI, LORENZO PERILLI,  
AMNERIS ROSELLI

Comitato scientifico / *Advisory Board*

GERRIT BOS (Köln), SILVANO BOSCHERINI (Firenze), VINCENZO  
DI BENEDETTO (Pisa), ARSENIO FERRACES RODRÍGUEZ (La Coruña),  
KLAUS-DIETRICH FISCHER (Mainz), ANTONIO GARZYA (Napoli),  
DIETER IRMER (Amburgo), JACQUES JOUANNA (Paris),  
DANIELA MANETTI (Firenze), NICOLETTA PALMIERI (Reims),  
HEINRICH VON STADEN (Princeton)

\*

Indirizzo per la corrispondenza:

IVAN GAROFALO, Via delle Sette Volte 11, I 56126 Pisa  
garofaloi@unisi.it · Tel. +39 050 540769

DE AUXILIO LIBRORVM LATINORVM  
IN MEMORIA SCRIPTORVM GRAECORVM  
DE MEDICINA ADHIBENDO

Klaus-Dietrich Fischer

SATIS puto notum esse mulieres nostris temporibus nullo alio genere cancri saepius uexari quam illo, quo mammarum partes primum durescunt atque postea, nisi prius curantur, omnes magna cum foeditate putrescunt, neque alia ex re maiorem numerum earum, quae sunt inter tricesimum quintum ac quadragesimum quintum aetatis annum, mortem obire. Quod an prioribus quoque temporibus factum sit, ignoratur, sed uix est dubium cancrum mammae, nisi curatur mature medica manu, exitio aegrotantis finiri, qui cancer uel, ut dicunt medici nostri, carcinoma, ipso tamen tumore sublato potest curari. Quod ne tardius fiat, momentur feminae ut ipsae propria manu quanta fieri potest diligentia mammas tractent et si quid durius offenderint, ilico medicorum examini subiciant.

Ceterum quis nescit ipsum cancri nomen antiquum ab illo mammarum tractum esse? Audiamus Galenum ad Glauconem (2.12 = 19.140.14-141.2 K)<sup>1</sup> sic scribentem: Videntur etiam uenae eorum locorum ubi consederit hic talis humor [id est atra bilis - K.-D. Fi.] plenae atque tensae sanguine corrupto nigro et spisso, qui quanto nigrior et spissior erit, tanto peior periculosiorque credendus est et grauior insanabiliorque causa. Et in mamillis quidem saepe uidemus cancro animali similem effigiem atque formam, unde et nomen ex similitudine<sup>2</sup> accepit; nam, sicut ille pedes, ita huic uenae protensae ex utraque parte cernuntur.

Quem cancrum antiquorum facile intelligemus ulcus fuisse<sup>3</sup> erumpens in superficiem corporis, quod apparet sub ipsum finem tam morbi quam uitae; est autem malum eo quidem tempore insanabile. Nam semina huius morbi per multos annos latentia (quae haud scio an Hippocrates atque Galenus κρυπτοῦς καρκίνου<sup>4</sup> appellauerint) et denique in cancri figuram erumpentia antea sola se prodebant duritia atque tactu.

Illa igitur tamquam semina cancrorum ab Hippocrate in aph. 38 libri sexti significari puto, ubi dicit: ὀκόκοις ρυπτοὶ καρκίνοι γίνονται μὴ θεραπεύειν βέλτιον, θεραπευόμενοι γὰρ ἀπόλλυνται ταχέως, μὴ θεραπευόμενοι δὲ πολὺν χρόνον διατελοῦσιν. Quod sic uertitur in translatione quam Rauennatem appellamus: «Quibus

<sup>1</sup> Galeni uersio Latina in Gloss. med. p. 14-15 Heiberg. Locus Galeni quidem desideratur apud Robertum Maltby, *A lexicon of ancient Latin etymologies*, Leeds, 1991.

<sup>2</sup> Conferasne Isid. *orig.* 4,8,14 *Cancer a similitudine maritimi animalis uocatum?* Itaque scribendum erit apud Galenum *cancro animali* <marino>.

<sup>3</sup> Vide sis quae W. G. Spencer disseruit de hac re in editione Celsi Loebiana, t. 3, Cantabrigiae Massachusettensium et Londini, 1938, in Appendice I, 589-592.

<sup>4</sup> Cass. Fel. 21.1 *en catacalypsi*.

absconsi carcinii nascuntur, non curare est melius; cum enim curantur, intereunt celerius. Cum autem non curantur, multo tempore perseuerant». Neque uidetur absurdum hanc ipsam ob causam perplures medicos antiquos curas mammaram cancrorum silentio praeteriisse, ideoque tanti maioris momenti est locus noster in *Physica Plinii Bambergensis* seruatus de cura mammaram cancro laborantium, quem uobis proponam.

Qui liber *Physicae Plinii Bambergensis* (nam Bambergae seruatur codex saeculo IX exeunte uel X ineunte in Italia scriptus et cum Receptario Laureshamensi ab Ottone imperatore ecclesiae cathedrali Bambergensi dono datus) quamquam ab Önnersorsio anno 1975 primum editus est, uerba quae modo inspiciemus iam anno 1509 typis descripta sunt in editione principe *Physicae Plinii a Pighinuccio* curata, qui haec a Plinio quodam Valeriano scripta esse credebatur, sub cuius nomine per plus quam quadringentos annos laudari solebat. Sed ualde mirum est locum nostrum de cancro mammaram tam a philologis atque a medicis quam a scriptoribus historiae medicinae silentio praeteritum esse ac fugisse etiam eas quae nostris temporibus studia rerum femininarum colunt.

Sed Plinium illum Valerianum iteratis curis ab Önnersorsio tractatum esse quis nescit? Qui ut nouam editionem *Medicinae Plinii Corporis medicorum Latinorum Academiae Berolinensis* curaret, hi libri quomodo per saeculorum seriem essent traditi atque mutati indagauerat sagax atque diligens, fuitque auctor ut tres iuuenes absoluta editione singulorum librorum *Physicae Plinii Florentino-Pragensis* (cuius uerba a Pighinucci editione uix differunt) ad doctoris gradum in uniuersitate Coloniensi ab Alberto Magno nuncupata promouerentur. Illa autem *Physica Plinii Bambergensis* quasi medium locum tenet inter *Medicinam Plinii*, opus fortasse saeculo quarto incipiente compositum, et *Physicam Plinii Florentino-Pragensis*, quae saeculo decimo tertio uel duodecimo tribuenda esse uidetur.

Sed codex quo Önnersorsius erat usus in *Physica Plinii Bambergensis* edenda, id est Bambergensis medicus 2, in capite 88 deficit, quamquam index progreditur ad caput 132. Bona itaque fortuna accidit ut paulo post Sergius Sconocchia, cum Scribonii sui uestigia indagaret in codice Casinensi 69, ibi *Physicae Plinii Bambergensis* librum integrum detegeret. Nam ego in codice Sangallensi 217 a Petro Capitone siue Koppio edito alia fragmenta *Physicae Plinii Bambergensis* tradi, cum censurae libri Capitonis operam darem, perspicui.<sup>5</sup>

Cuius *Physicae Plinii* compositiones maximam partem fluxisse e *Medicina Plinii*, cuius redactor medicamenta in Plinii naturali historia uariis locis dispersa collegerat et omnia, quae uni eidemque morbo mederentur, uno capite comprehenderat, iam omnibus notum est. Sed ex aliis quoque fontibus, ut fere fit, nonnulla addebantur, quos inter fontes tam collectiones medicamentorum quam libri medicinales erant, e quorum uno hoc capitulum de curis mammaram cancro exesarum excerptum

<sup>5</sup> Peter Köpp, *Vademecum eines frühmittelalterlichen Arztes* («Veröffentlichungen der Schweizerischen Gesellschaft für Geschichte der Medizin und der Naturwissenschaften» 34), Aarau, 1980; «Mittelateinisches Jahrbuch» 18, 1983, 348-350.

est. Non aliter iam ante hos sex annos uobis hoc in Carthusiae loco amoeno de libro tertio sub falso Galeni nomine tradito disserens monstraui excerpta quaedam illius libri collectionibus quibusdam compositionum medicarum inserta tradi, omissis, ut semper uidetur fieri, auctoris nomine ac libri titulo.

Ne diutius uos morer, iam ipsa uerba de cancro mammarum uideamus, quae cap. 67 traduntur descripta centum fere uersibus in editione Önnersforsiana, quae, decem paragraphis distincta, si ex re uidebitur, diuidam in plures particulas. Sed moneo minime mihi constare totum caput ex eodem fonte haustum esse. Ergo in initio huius capituli legimus descriptionem morbi, cuius signa nunc in lacuna ab Önnersforsio indicata omitti uehementer dolemus (§ 1). Deinde post medicamentum quoddam in ipsa mamma inducendum scriptor laudat usum epithymi (quod idem esse ac Cuscutam epithymum L. arbitratur Jacobus André, his in rebus doctissimus et maxima fide dignus), cuius scripuli 12 (quod pondus idem fere est ac 15 grammatum nostrorum) bibantur ab aegra; hac enim herba epithymi atram bilem purgari putabant, ex qua cancos omnes originem ducere medicis uetustioribus erat persuasum.

Quae uerba excipit medicamentum aliud (§ 2) cuius uirtute, si imponitur mammae, ipse secandi dolor sensusque omnis tollatur; agitur hic de tota mamma exsecanda. Quam rem satis miram antequam uobis fusius proponam, audiamus medicos antiquos quid de mammis cancro affectis curandis senserint; quos locos inuenimus apud Hippocratem loco supra laudato (aph. 6,38), in altero libro methodi medendi quem ad Glauconem dedit Galenus (quem locum itidem supra exscripseram), apud Paulum Aeginetam (6,45), denique in Aetii libro ultimo.

Aphorismum Hippocraticum 6, 38 plurimi medici antiquiores commentati sunt, e quibus neque Theophilus neque Damascius neque Stephanus Atheniensis in re nostra indaganda maioris momenti sunt praeter unum Galenum (cuius uerba plurima repetit Stephanus), a quo docemur quosdam medicos de cura cancrorum mammae tam absconsores quam ulcerum in aperto serpentium dissentire, nam alios suasisse ut curarentur ferro, alios ut cauterio, alios solis medicamentis; alii denique ne medicamenta quidem adhibebant.

Ceterum mamma quomodo exsecetur neque apud Galenum neque apud Paulum Aeginetam docemur; itaque solo Aetio nitimur, qui hac in re Leonida, chirurgo celeberrimo saeculi primi p. Chr. n., usus est. Sed qualibet cura ac diligentia lustrauerimus litteras Graecas Latinasque, locus ubi de dolore mitigando ope medicamenti in superficie corporis impositi agitur, frustra quaeretur, quae res e sola, ut iam dixi, Physica Plinii Bambergensi elucet.

Ibi enim medicamento doloris mitigatiuo utitur medicus uice inductorii in superficie corporis inducendi, ut mihi uidetur, nam teste Thesauro linguae Latinae Monacensi haec uox quae est 'inductorium' alibi non legitur. Quod inductorium (teste codice Casinensi 69 p. 76b-77a Önnersforsio ignoto) has recipit species: 'herba

strignon quod alii cuculum uocant alii uua canina dicunt ÷ I. iosquiamae sucus ÷ I. conii hb. sucus quod alii cecuta uocat ÷ I. mandragore sucus ÷ I. croci ÷ I. pulicis ÷ I. turpidinis sanguine ÷ I. turturis marine sanguine ÷ I. ficatum perdicis cum felle aut certe de uulture totum misce<sup>6</sup> cum aliis speciebus. facies inductorium et uteris quousque bellicari<sup>7</sup> non sentiat et ita accedis ad curam quando apertum fuerit.’

Desunt autem quae sequuntur (67,4-10) tam in codice Bambergensi med. 1 (qui codex Receptarii Laureshamensis excerpta tantum Physicae Plinii Bambergensi in secunda capitulatione tradit) quam in Casinensi 69 Physicae Plinii Florentino-Pragensis siue Plinio Valeriano, sed exstant in Vindocinensi 175 (s. XI<sup>ex</sup>/XII<sup>in</sup>) fol. 107<sup>v</sup>-108<sup>v</sup>. Excipitur inductorium de quo egimus compositione malagmatis (67,3). Reliqua quae ad cancrum mammae spectant e nouo et alio fonte translata esse uidentur, nam praecedit (67,4) titulus quidam his uerbis: ‘Item tractatus diligentior ad cancrum mamillae’, neque absurdum est ea quae sequuntur et simili titulo inscripta leguntur (67,5 ‘Item ad idem et ad menstruum difficultate tractatus diligentior et curat plenior’), ex eodem libro transcripta esse.

## II.

Iam in alium locum transeamus uel potius ascendamus, nam nunc de sternutamentis agendum est. Qui locus inuenitur in opere illo quod sub falso Petroncelli nomine fertur, medici cuiusdam Salernitani ideoque a Salvatore de Renzi in Collectione Salernitana editum ex codice Parisino 14025 saeculi decimi tertii uel quarti. Sed uerius Conrado Schubringio auctore *Tereoperica*, id est *Therapeutica* appellatur. In huius operis capitulo uicesimo octauo agitur de sternutamentis, nec est mirum in ipso capite capituli inueniri Hippocratis aphorismum quinquagesimum primum libri septimi Latine expressum (haec e huius operis codice antiquissimo Par. lat. 11219 s. IX):

28.1 (p. 207 de Renzi) Sternutatio fit de capite recalefacto cerebro aut infrigidato et umectato eo quod in capite est uacuum. Subito enim aer qui in eo est sonat aut quia per angustum eius exitus est.

Quem cum sequatur aphorismus quinquagesimus secundus, utrumque e uersione Latina aphorismorum allatum esse facilius credemus quam apud Aetium in capitulo nonagesimo septimo libri sexti, ubi de sternutatione prouocanda agitur, excidisse uel omissum esse. Nam quae apud Petroncellum paulo inferius sequuntur, tam Aetio quam Galeno communia sunt, sed cum Galeni textu (XII 584,6-10 Kühn) magis congruere nemo est qui non uideat.

Sed primum redeamus ad aphorismos.

<sup>6</sup> in se *Cas.*, tum in se *Bamb. med. 2*, corr. *Önnerfors*.

<sup>7</sup> = uellicari; bellicum *Cas.*, belli cum *Bamb. med. 2*, belli (uelli m<sup>2</sup>) eum *Vindoc. 175*, corr. *Önnerfors*, qui in textu ‘bellicationem’ posuit. Cf. Aug. serm. 17,3 quando autem tangitur (sc. pars corporis), pungitur, uellicatur nec dolet ... de corpore praecidendum.

[*Hipp. aph.* 7,52]

28.2 (p. 207 de Renzi) Quibuscumque iecur dolet his [hic *cod.*] febris innatus (!) soluit dolorem.

Cum plures uersiones Latinas aphorimorum Hippocratis ante secundi millennii initium fuisse iam demonstrauerimus,<sup>8</sup> ipsa uerba apud Petroncellum seruata ex uersione quam Rauennatem appellare placet, ab Inga Müller-Rohlfesen edita fluxisse apparet.<sup>9</sup> Ergo redactor Petroncellianus errore quodam inductus aut codicis quo usus est scriptura deceptus uerba aphorismi quinquagesimi secundi una cum iis aphorismi quinquagesimi primi, quae praecedunt, in usum suum transtulit.

Sed uideamus quomodo compositio, quae apud Galenum in libro secundo medicamentorum, 12.584.8 K, quem de medicinis secundum locos inscripsit habetur, tam apud Aetium quam apud Petroncellum reddatur, incipientes ab ipsis uerbis Galeni:

χρονικῆς κεφαλαλγίας παρμικὰ Πτολεμαίου<sup>10</sup> #200 ἔλλεβόρου λευκοῦ δραχμὰς δ'. ἐν ἄλλῳ α'. σικύου ἀγρίου ρίζης δραχμὴν μίαν, στρουθίου < α'. νίτρον ἐρυθροῦ δραχμὴν μίαν, κακτορίου < α'. πεπέρεως λευκοῦ < α'. χρῶ καθὰ προεῖρηται.

Quam compositionem apud Aetium (7,97 p. 249,10-13 Olivieri) his uerbis expressam legimus:

Ἄλλο. ποιεῖ κεχρονικόμεναις κεφαλαλγίαις σκοτωματικοῖς, ἐπιληπτικοῖς. ποιεῖ σκοτωματικοῖς, ἐπιληπτικοῖς κεφαλὴν βαρυνομένοισι. ἔλλεβόρου λευκοῦ < δ', στρουθίου νίτρον ἐρυθροῦ κακτορίου ἀνά < α'. χρῶ καθὼς προεῖρηται.

A Petroncello<sup>11</sup> praebentur haec:

28.6 (p. 207 de Renzi) Ad sternutamenta capitis, scotomaticis, epelepticis:

Eleboro albo scrib. IIII, structio casturio nitro rubeo piper ana drag. I; puluera facis, naribus immittis.

14.9 (p. 197 de Renzi) Purgaturium capitis per sternutum scotomaticis uel epelepticis: elebori albi denarios IIII, strucii castorii nitri rubei piper albi denr. singulos; teris cernis, naribus infundis.

<sup>8</sup> *Neues zur Überlieferung der lateinischen Aphorismen im Frühmittelalter*, «*Latomus*» 62, 2003, 156-164.

<sup>9</sup> Inge Müller-Rohlfesen, *Die lateinische ravenmatische Übersetzung der hippokratischen Aphorismen aus dem 5./6. Jahrhundert n. Chr.* Textkonstitution auf der Basis der Übersetzungscodices («*Geistes- und sozialwissenschaftliche Dissertationen*» 55), Hamburg, 1980. Haec uerba e codice Prag. Capituli Metropolitani 1358 illi ignoto transcribo: [7,51] Sternutatio fit de capite calefacto cerebro aut infrigdato mundato et humectato eo quod in capite est uacuum subito enim aer quod inest. sonat autem quia per angustum ei exitus est. [7,52] Quibus <ie>cor dolet his febris superueniens soluet dolorem.

<sup>10</sup> Cajus Fabricius, *Galens Exzerpte aus älteren Pharmakologen*, Berlin-New York, 1972 («*Ars Medica*» II. Abteilung Band 2), p. 226 et 228.

<sup>11</sup> Similis est compositio Recept. Laresh. 2,241 (cod. Bamb. med. 1). Puluer[a] ad caput purgandum et sternutum prouocandum: Stru[c]tio < I, piper < I, piretro < I, el<l>eboro albo < I, afronitro < I. Omnia teris, cernis et ad solem in nares mittis; cum uolueris, ut cesset, laues nares cum aqua et oleo et pauset.

Cum apud Galenum sex species intrent in compositionem ad sternutamenta prouocanda factam, ab Aetio et a Petroncello utroque loco unam (id est κικύου ἀγγρίου ῥίζης) omissam esse uidemus, quod quare fiat haud patet. Ceterum denarii mensura uno loco, drachmae altero Petroncellum usum esse animaduertimus. Cum inter drachmae et denarii pondus nihil interesse sciamus (nam sic docemur a Scribonio Largo in his quae ipse compositionum libro praemisit [15]),<sup>12</sup> denarii notam et pondus ex alio fonte, haud scio an prioribus temporibus Latine uerso, sumptum esse non uidetur absurdum.

### III.

Nunc per montes uagemur Latinos; uel ut apertius agam uobiscum, Oribasium excutiamus Latina lingua uersum de elephantiasi agentem. Nam hoc loco, id est in capite quinquagesimo primo<sup>13</sup> libri septimi *Synopses* nonnulla obuia sunt nobis in textu Latino quae in Graecis libris desiderantur. Incipiamus igitur a principio illius uersionis quae a Mørlandio uiro docto Suecano de Oribasio Latino optime merito iunior uel recentior uocatur uersio ac cuius textus praecipue secundum codicem Laudunensem 424 ante dimidium saeculum nonum exaratum a Molinario typis descriptus potius quam editus est. Verba enim quae ibi primam particulam textus Graeci (syn. 7,51,1) praecedunt, cuidam auctori Latino debentur, qui utrum Plinius fuerit an alius, mox excutiemus. Verba sunt autem haec:

Orib. lat. La<sup>14</sup> p. 197,6-18 Mol.

Quo<d> malum plerumque a facie incipit priusquae oritur [urentur *cod.*] quasi lenticulis uariis [uanis *cod.*] et inaequalibus, cute[m] alba[m] alibi grassa[m], alibi tenui [tenuem *cod.*], plerisque locis dura[e] quasi scabies, ad<sup>15</sup> postremum sic[ce] nigriscit, ut ossibus caro [similis] adstricta tumiscentibus primum digitis atque articulis induriscat. Hic morbus [morbo *cod.*] specialiter Aegyptiorum populis notus est, non solum in uulgus extremum, <sed etiam> in reges ipsos frequenter inrepsit. Unde aduersum malum hoc solia ipsis pro balneo humano sanguine [humanum sanguinem *cod.*] repleta parabantur.

Egit de hoc morbo Plinius in opere quod naturalis historiae inscripsit in libro uicesimo sexto, cuius particulae septima et octaua abierunt in Medicinam quae dicitur Plinii capitulum undeuicesimum libri primi. Qui locus Medicinae Plinii utrum a Marcello, qui saeculo quinto ineunte de medicamentis scripsit, quodammodo sit retractatus an ex alio fonte nobis ignoto haustus, mihi non liquet, sed, si comparauerimus cetera, textui Oribasii Latini simillimus est:

<sup>12</sup> «erit autem nota <> denarii unius pro Graeca drachma: aequae enim in libra denarii octoginta quattuor apud nos sunt sicut drachmae apud Graecos incurrunt.» Similem compositionem ex quattuor speciebus habet idem cap. 10 in capitis dolore: «quo tempore etiam sternutamentum concitare non alienum erit medicamento, quod ex his rebus componitur: ueratri albi, castorei, struthii, quod est radix lanaria, piperis albi, singulorum p. I. haec contusa tenuiter forato cribro transmittuntur; cum opus fuerit, per pinnam aut calamum scriptorium naribus sufflentur uel specillo tincto in aquam et excusso tacta naribus iniciantur».

<sup>13</sup> Est caput sexagesimum primum uersionis La, p. 197 Mol.

<sup>14</sup> Codices La = Laud. 424 et Aa = Par. lat. 10233, quos, nisi aliter monui, iterum inspexi.

<sup>15</sup> a m<sup>1</sup>.



Marcell. med. 19,18

Aduersum elephantiasim, quod malum plerumque a facie **auspicatur**<sup>16</sup> **primum**que oritur quasi lenticulis uariis et inaequalibus, cute alba alibi grassa, alibi tenui, plerisque locis dura **et** quasi **scabida**, ad postremum **sic** nigrescit [increscit *cod. unicus* Par. lat. 6880], ut ossibus caro adstricta tumescentibus primum digitis atque articulis indurescat. Hic morbus **peculiariter** Aegyptiorum populis notus est nec solum in uulgus extremum, sed etiam in reges ipsos frequenter inrepsit. Unde aduersus **hoc** malum solia ipsis in balneo **repleta** humano sanguine parabantur.

Scimus in bibliotheca Laudunensium codicem Marcelli (Laud. 420) eodem tempore fuisse<sup>17</sup> quo ibidem Oribasii codex (Laud. 424) exarabatur, Martinumque Scotum magistrum illum Laudunensem tam Oribasium quam Marcellum notis in margine additis instruxisse.<sup>18</sup> Sed temporum iniuria quam deploramus factum est ut ille codex operis Marcelli non omnis ad nos perueniret et illa folia desiderentur quibus haec pars capituli undeuicesimi tradebatur. Itaque solo Parisino codice, olim Fuldensi, nitimur.

Hinc iam ad uersionem Oribasii quae appellatur antiquior transmigemur, ubi plura ex auctoribus Latinis sumpta inculcata esse uiris doctis iam diu bene notum est. Nam leguntur uerba Theodori Prisciani atque Caelii Aureliani ac Celsi addita textui Oribasii Latine reddito, quorum ope haud scio an libri illorum scriptorum emendari uno alioque loco possint. In hoc autem capitulo de elephantiasi de quo agimus occurrunt uerba Celsi sumpta ex capitulo uicesimo quinto libri tertii de medicina, de quibus cum fusius egerit Emmanuel Henricus Vázquez Buján Compostellanus anno 1994 in ephemeridis Lusitanae Euphrosynes uolumine 22 a p. 32 usque ad 35, non omnia tamen attigit. Miro enim silentio praeteriisse uidetur haec uerba a quibus cura oritur:

Orib. lat. Aa p. 198,19 Mol.

Curatio. Expedientem igitur eis curationem non tantum quod per me ipsum exercui et uidi [*bidi cod.*] sed cum aliis medicis orientalibus in meridie constitutus [*-tis trad., correxi*], quod ab his didicimus tradimus scriptum.

Qui medicus nobis loquatur, prorsus ignoramus, sed hunc fuisse Celsum putauerit nemo. Tamen mirum in modum Celso (med. 3,25,2), – nec dubium est – tribuenda sunt quae sequuntur:

Orib. lat. Aa p. 198,25 Mol.

Protinus ergo inter initia sanguis [*sanguinis cod.*] **sub gemina detractio**ne per biduum [uid-

<sup>16</sup> = incipit.

<sup>17</sup> Teste Ernesto Wickersheimer (*Les manuscrits latins de médecine du haut moyen âge dans les bibliothèques de France*, Paris, 1966), p. 35.

<sup>18</sup> J. Contreni, *A propos de quelques manuscrits de l'école de Laon du IX<sup>e</sup> siècle, découvertes et problèmes*, «Le Moyen Âge» 78, 1972, pp. 5-39: in p. 8.

*cod.*] mitti debet quomodo cac<h>ectico[s] **et post haec** elleboro nigro uenter solui, **et quantum fieri** potest inedia [*enedia cod.*] **indicenda** est.

Miramur in his paucissimis uerbis tot mutata esse. Nam uerba ‘sub gemina de- tractione’ nusquam apud Celsum inueneris, sed traduntur binis locis Theodori Prisciani (1,92; 2,52); iterum ‘inedia indicenda est’ ut legitur in sexto libro Celsi, ita hoc loco in Celsi codicibus traditur ‘adhibenda tum ... inedia’. Simili modo pro ‘nigro ueratro’ apud Oribasium ‘elleboro nigro’ est, usu ut uidetur recentiore magis quam antiquo.

De Celso iam satis egimus, sed res satis mira, illa quae sequuntur uerba Celsi nonne Anonymum Parisinum Caryophyllino-Vulpinum nuper editum<sup>19</sup> sapiunt? Nolite credere mihi, uestris potius fidem habeatis oculis:

Orib. lat. Aa p. 198,29 Mol.

Purgandus est autem primo uere [primum uir *cod.*] bis et autumno semel;

Anon. Par. 51,3,1 p. 260,4 Garof.

τοὺς δὲ ἐλεφαντιῶντας κατ’ ἀρχὰς μὲν φλεβοτομεῖν δεῖκαὶ κλύζειν καὶ καθαίρειν διὰ ἐλλε-  
βόρου, δις μὲν τοῦ ἔαρος, ἅπαξ δὲ τοῦ φθινοπώρου.

Non solum uno tenore ambos progredi, sed pleniorum textum in Oribasio Latino praeberi quam apud Anonymum haud est cur dubitemus. Tamen ea quae apud Anonymum sequuntur de chamaemelo, omittuntur; ueniamus autem ad proxima:

Orib. lat. Aa p. 199,5 Mol.

Oportet ergo <ut> dicunt educere per uentrem de cute [*cote cod.*] reumatismum, <et> stypticis res et desiccatiuas extrinsecus cuti [*coti cod.*] adhibere, inde [*unde cod.*] <d>educere uentrem per clystere<m> et †epilatibus † cat<h>artici fieri non negamus, sed saepius in mense ut fiat hortamus et maxime primo uere [primum uir *cod.*].

Anon. Par. 51,3,3 p. 260,8 Garof.

μετὰ δὲ ταῦτα ἐὰν κρατηθῶσιν, ἀπάγειν δεῖ ἀπὸ τῆς ἐπιφανείας τὸν χυμὸν τὰ μὲν οὖν ἐλ-  
κούμενα φαρμακοῖς ὑποστύφουσι καὶ ξηραίνουσι, τὴν δὲ κοιλίαν καθαίρειν φαρμάκοις  
συνεχέστερον καὶ μάλιστα ἔαρος.

Orib. lat. Aa p. 199,13 Mol.

exercitationes uta<n>tur mediocres secundum uirtutem, et siccis fricationibus et un-  
ctionibus modicis cum oleo myrtino et myrobalani suco [*mirobalani suci cod.*], admixta[s]  
stypteria humida et cedria et sulfure uiuo [*solfor uiuu cod.*] aut cum myrobalano<sup>20</sup> [*miroual-*  
*cod.*], cum oxyrodino et oleo myrtite cum aceto.

<sup>19</sup> *Anonymi medici De morbis acutis et chroniis*, ed. with comm. by Ivan Garofalo, transl. into English by Brian Fuchs, Leiden, 1997 («Studies in Ancient Medicine» 12).

<sup>20</sup> Cf. Cael. Aur. tard. 4,1,2 p. 776,3 ut myrobalani cum aceto. Esc. 38,8 Manz. mirobalanum cum

Anon. Par. 51,3,4 p. 260,12 Garof.

γυμνασίους χρήσθωσαν κατὰ δύναμιν καὶ ξηροτριβεῖσθωσαν καὶ βραχὺ συναλειφέσθωσαν ἔλαιω μυρσίνῃ ἢ καὶ στυφῶτων τινὶ καὶ τῷ διὰ τῆς μυροβαλάνου, ἐπιμεμιγμένης στυπτηρίας ὑγρᾶς καὶ κεδρίας καὶ ἀπύρου θείου.

Orib. lat. Aa p. 199,20 Mol.

similiter et stypteria[s] et ammoniaci [-co *cod.*], et figulari [-re *cod.*] creta cum aceto inlitos [-tus *cod.*] in sole siccare iubeo.<sup>21</sup> Inlinenda est et facies Cymolia et libano [liuanu *cod.*], id est Cymolia ÷ IS, libanu ÷ I; teris cum aceto et linis faciem. Et cataplasmare de gummen et fricare [frec- *cod.*] ad ardentem solem.

Anon. Par. 51,3,5 p. 260,16 Garof.

καὶ ἀναπ[λ]ακκέσθωσαν κόνει καὶ ἀνατριβεσθωσαν ἡλίωσις τε παραλαμβανέσθω τοῦ σώματος.

Orib. lat. Aa p. 199,27 Mol.

et lauent [labent *cod.*] aquis maritimis frigidis et aquis calidis infrigidatis.<sup>22</sup>

Anon. Par. 51,3,6 p. 260,17 Garof.

χρήσθωσαν δὲ καὶ ψυχρολουσίᾳ καὶ τοῖς αὐτομάτοις ἀφιδρωτηρίοις· κατὰ μίμησιν τούτων ἐπιγενομένοις ὠφελήθησαν καὶ ὑπὸ τῆς διαπύρου <...>

Ergo cunctis fere in locis uberiora sunt uerba Oribasii Latini, neque dubito cetera quae adduntur, ex communi fonte Anonymi et Oribasii Latini ut ita dicam aucti fluxisse. Itaque libenter addam textui Graeco Anonymi cap. 51,3,1 haec quae Latine expressa sequuntur:

Orib. lat. Aa p. 198,31 Mol.

Hoc ipsud etiam secunda uice faciendum est. Hos autem quos iam ipsa optinuit passio[ne] neque flebotomo neque elleboro sunt purgandi, sed e contrario l<a>eduntur. Est enim elephantia putredo cutis [cot- *cod.*] ex quadam corruptione et laxati<one> corporis accidens [accidentia *cod.*]; hoc enim efficit et flebotomus rarefaciendo carnes.

Quae satis quadrant cum his quae exposuit Soranus de curis quibus utebantur Themisonis sectatores, quae ut fere fit apud Caelium Aurelium seruantur:

oxirodino et myrtino oleo cum aceto. (Francisco Manzanero Cano, *Liber Esculapii (Anonymus Liber Chroniorum)*. Edición crítica y estudio. Diss. phil. Universidad Complutense de Madrid, 1996).

<sup>21</sup> Esc. 38,9 Manz. Similiter stiapteria et amoniacum et alia que constringant et desiccant, et adiutorium his adhibendum ex terra uasaria, hoc est, ex figlinis argilla alba cum aceto consparsa; perungui debent in sole ut desiccari possint. Paul. Nic. 93 l. 14 χρήσομαι [χρίσομαι *Ieraci Bio, correxī*] Κιμωλίαν τε καὶ λίβανον μετὰ ὄξους καὶ στυπτηρίας καὶ ἀμμωνιακοῦ καὶ τῆ κεραμικῆ γῆ ὄξει πεφουραμένη καταχρίσω [καταχρήσω *Ieraci Bio, correxī*] καὶ ἐν ἡλίῳ ξηραίνεσθαι κελεύω.

<sup>22</sup> Cf. p. 200,20 sq. Mol. naturales aquas calidas, sed iam refrigeratas. Paul Nic. 93 l. 17.

Cael. Aur. tard. 4,1,9 p. 778,29 Bendz

eos autem, quos iam possessos acceperint, iisdem negant curandos adiutoriis [= *phlebotomant et helleboro*<sup>23</sup> *purgant*, Cael. Aur. tard. 4,1,8 ex.], siquidem corruptione quadam uel laxatione extremae cutis in corporibus haec passio generetur et sit rarifica carnis atque mollifica corporis phlebotomia.

#### IV.

Vereor ne elephantiasis iam nimis puteat uobis, itaque denuo ad iuncundiora nos conuertemur, id est ad feminas, nam Goethe ille, Germanorum uel maximus scriptor, docuit nos per Faustum illum, qui quasi uiri doctissimi imago nobis pingitur eiusdemque infelicissimi, per ea quae feminis sunt propria ad sublimia nos subleuari, uel ut ipsis uerbis utar: das ewig Weibliche zieht uns hinan. Agamus igitur iterum de mammis, eheu ui morbi corrosio, qui locus apud Oribasium inscribitur 'Ad mamillarum causas diuersas et cancrum et omnia [omnes *trad.*] uulnera uel in aliis locis facta'. Haec quae traduntur in codice Oribasii Latini Parisino 10233 (= Aa), non leguntur in uersione recentiore; sed ut fere fit, Graeco cuidam debentur scriptori, cuius uerba et apud Paulum illum Aeginetam iterumque in eclogis Oribasii (136,1) seruantur. Sed haud scio utrum ipsa uerba ex Pauli Aeginetae textu integro tempore quod ignoramus Latine uerso excerpta sint, an in usum operis Oribasiani Latini potius conuersa et Latine reddita, quia argumentum conuenit et compilatori editionis Latinae Oribasii persuasit, ut hoc caput Latine exprimeret. Si autem uersio integra Latina Pauli Aeginetae, siue libri tertii siue omnium librorum Pauli, sub finem temporum antiquorum non habebatur, facilius intellegemus uersionem libri tertii Pauli Latinam postea factam esse (sed quo tempore ambigitur), qui liber ab Iohanne Heiberg, uiro Dano doctissimo ac de scriptoribus medicis optime merito, editus est.<sup>24</sup> Sed primum inspiciamus textum quem praebet Oribasius Latinus:

Orib. lat. Aa p. 383,27 Mol.

Ad cancrum [-os *cod.*] in mamillis uel in aliis locis qui se comedit Archigenes composuit hoc modo: in Adriano optimo uino f<sup>25</sup> XX, ros **marinu**<m> f XII, cupressi [cop- *cod.*] pilas lib. I, galla Asiana nigra ÷ VI, cassia syringos optima<sup>26</sup> ÷ VI. Contusa haec infundis in uino s(upra)s(cript)o diebus **tribus**, quarta die coquis, cum spat<h>a cupressina [cop- *cod.*] agita<n>s donec **quinta aut sexta** pars remaneat; tollis et proicis herbas. Sucus autem iterum [-ro *cod.*] coquis, donec mellis habeat pinguidinem; tunc in uaso uitreo reponis. Uteris autem medicamen purum ad cancrum. Si autem pinguius [-ior *cod.*] se fecerit, uino

<sup>23</sup> Cael. Aur. tard. 4,1,3 p. 776,13 Bendz legitur 'utilis hellebori albi datio probatur, quo corpora dissecentur', melius 'desiccantur', nam alueo ducto excrementa liquidiora redduntur et corpus fit siccius; quod aliis quoque locis restituendum esse haud uidetur absonum. Pergit enim (p. 778,33 Bendz) post locum supra allatum: quapropter inquirunt esse frigerandam [Caelius Aurelianus habet tam frigerare quam refrigerare, sed locis omnibus, ubi gerundiuo utitur, uerbum simplex ponit] uel siccandam corporis superficiem, quo possit eius humor ad intestina uel uentrem recurrere.

<sup>24</sup> Vide cap. 186 p. 110-111 Heiberg De comestione mamillarum.

<sup>25</sup> ξ.

<sup>26</sup> προυδαίαια Orib. ecl.

infundis.

Maxime autem si talis sit passio, adhibendum [-dus *cod.*] est; laudatum [-tus *cod.*] medicamen ad hanc passionem est. Mitigat enim dolores lacte[m] resolutum [-tus *cod.*] **muliebri** [-e *cod.*] **aut uino**. Facit autem et ad cancros [et] in aliis omnibus locis et ad aures<sup>27</sup> purulentas et ad gynguias infusas et ad dysintericos.

Quis non uidet textum Latinum Heibergii cum Graeco Pauli Aeginetae uinculo artiore constringi quam illum quem praebet Oribasius Latinus? Nam praeter errorem minoris momenti, mensurae potius quam numeri (legimus enim roris marini sextarios XII potius quam libram unam, quae cum idem penset atque unciae XII in eclogis Oribasii [p. 299,6 Raeder]), discrepat in confectione medicamenti, quae fit speciebus prius per tres dies infusis (decem autem sunt dies apud Paulum Graece scriptum) quodque medicamentum coquitur, donec eius sexta aut quinta pars remaneat, ubi Paulus Latinus habet ‘donec prope ad medium consumatur’, cui respondet in Paulo Graeco ἕως ἐγγύς τοῦ ἡνίσεως δαπανηθῆ. Conferentibus autem ea quae in eclogis Oribasianis traduntur, ubi est ἕως ζήρη πεντάκις ἢ ἐξάκις, uideamus quomodo is qui Latine uertit in errorem sit lapsus, facilius quidem si numeri non litteris sed notis expressi erant. Sed tacet Paulus Graecus, itidem tacet Paulus Latinus Heibergii de lacte muliebri aut uino, quibus medicamentum resolutum dolores mitiget, contenti γάλακτι ἀνεθέν hic, ‘lacti mixtus’ ille. Est denique cur adeamus atque nocturna uoluamus manu, uoluamus diurna, scripta Latina Graecos edituri libros. Nec praetereamus quod in eclogis Oribasii additur sub fine, post uerba ‘Si autem pinguius se fecerit, uino infundis’, μάλιτα <ει> ἐπὶ γυναικείου κόλπου τοιαύτη διάθεσις προκάγοιτο.

Sequitur autem paulo inferius locus alter Archigeni<sup>28</sup> tribuendus, Graece non apud Paulum Aeginetam, sed apud Aetium (16,48 p. 364-366 Romano) seruatus:

Orib. lat. Aa p. 384,14 Mol.

Item emplastrum ad uulnera cancrosa mitigatorium: lythargyru lib. I, adapes porcinos lib. I, uitella ouarum(!) assa, id est cocta, dece<m>, oleu<m> cyat<h>os octo. Lythargyru<m> teris cum modica aqua, superfundis oleum et sic uitella ouarum(!) mittis et teris simul. Adapes autem cum resoluta cera **in duplici uaso** et super in mortario ubi tritae sunt aliae species mittis.

Usus autem eius est resolutus cum oleo roseo, et **cum motariis laneis aut lineis, quemadmodum expedire uidetur**, inponis. Dolore autem mitigato medicamini admiscendum est murra, ireos, aristolochia ana < III, hoc est si sine uulnere fuerit, est adhibendum.

Aet. 16,48,1 (p. 364-366 Romano)

Ἡλκωμένου καρκίνου ἐπιμέλεια.

Ἡλκωμένῳ δὲ κακοῦθει πραότατον ἐπίθεμα ὁμοιον κειμήλιον ἐστὶ· παράλαβε τοῦτο φησὶν Ἀρχιγένης, ὃ καὶ ἔχει οὕτως· λιθαργύρου, στέατος ὑείου προσφάτου, κηροῦ λευκοῦ ἀνά λ ι α. ἐλαίου καλοῦ γο ις ἤτοι οὐγ. ις. ὠν ὀπτῶν λεκίθους ιβ. τὴν λιθάργυρον τρίβε μεθ’ ὕδατος συμέτρου, εἶτα παραχέων τι τοῦ ἐλαίου, ἐπίβαλλε καὶ τὰς λεκίθους καὶ συλλέαινε. τὸ δὲ στέαρ ἐξυμενίσας καὶ κόψας ἐν θυίᾳ, τῆκε ἀκνίσσως σὺν τῷ κηρῷ καὶ διήθει· ψυχρανθὲν δέ,

<sup>27</sup> ‘aures et’ Molinarius falso.

<sup>28</sup> In primo loco Pauli Aeginetae uersio Latina Heibergii Archigenis nomen omisit.

κινῶν ἐπίβαλλε τὸ λοιπὸν τοῦ ἐλαίου κατὰ βραχύ, καὶ ἀναμίξασ ἐν θυίᾳ τοῖς λειωθεῖσιν ἀναλάμβανε. χρῶ δὲ αὐτῷ ἀνιείς ροδίνῳ, καὶ ἐρίῳ ἀπαλῶ ἀναλαβὸν ἀντὶ μοτῶν ἐπιτίθει· ἀνωδύνου δὲ ὄντος τοῦ ἔλκουσ, προσπλεκέσθω καὶ ἴριδος, ἐμύρνης, ἀριτολοχίας ἀνὰ δραχ. ᾶ ἦ καὶ γ, ὃ καὶ τοῖς ἀνεγκώτοις ἐπιτιθέμενον ἰσχύει χρήσιμον εἶναι.

Inter ea quae Latina uersio addidit, διπλόγγειον, id est uas duplex ad resoluendam ceram, ne comburatur, maioris momenti esse arbitror, nam de motariis mihi non constat, siquidem Graecus lana sola utitur, minime motariis, Latinus motariis tam lineis quam laneis. Ceterum cera in textu Latino in specierum ordine errore quodam omissa non est cur offendamur, nam redit tum cum agitur de adipe cum cera resoluta miscendo.

Cum binae hae compositiones Archigenis uno comprehendantur capitulo Oribasiano, uerisimile est tertiam inter utramque positam eidem Archigeni tribuendam esse, quae est haec:

Orib. lat. Aa p. 384,9 Mol.

<emplastrum> dia gyreos:<sup>29</sup>

oleum uetus librae III, cera libra I S., Colofonia libra I S., adapes porcinos libra I S., lithargyru libra I, psimythiu ÷ VI, lini semen sucos ÷ VI, gyreos, id est pollines tenuissimas triticeas, ÷ VI, libanu ÷ III; conficis et uteris.

Et re uera simillima est compositio quae Archigeni attributa legitur in eclogis Oribasii (136,2), ubi Raeder nescio quo errore perturbatus falso particulas distinxit, nam p. 299,14-17 Raeder, quae uerba repetuntur apud Paulum Aeginetam (3,35,2 p. 222,8-10 Heiberg) post compositionem Archigenis quae a uino Adriano incipit, ad hanc pertinent, id quod etiam titulo qui in ipsis eclogis sequitur, id est Ἰουνιάδος φάρμακον, euincitur. Pergit enim textus in cap. 136,3 eclogarum Oribasii hoc titulo Ὡς ἄλλως τὸ Ἰουνιάδος φάρμακον.

Relinquamus Archigenem et ad Philumenum nos conuertamur, cuius est prima pars capitis quod apud Oribasium loco quo ante sequitur; Graece exstat cum nomine auctoris apud Aetium 16,37 p. 348 Romano:

Orib. lat. Aa p. 384,24 Mol.

Ad mamillarum inflammationes

Sesamum bene tritum [sesamus b. tritus *cod.*] cum butyro habundanter malaxas, inponis cataplasma mediocriter tepidum [-da *cod.*] duobus diebus. Inflammatione uero non soluente **transeundum est ad ea quae fortiora sunt, quale est** panis infusi [panem infum *cod.*] quod interius est; teris et cum herba<e> perdicados [-don *cod.*], id est uitraginis, foliis [folia *cod.*] ita ut sit una pars herbae et duo [duas *cod.*] panis et ceroti mollis pars una et media; **teris panem cum herba[s] et cerotum supermittis, miscis et uteris**, et hoc duobus diebus habeat inpositum. Hoc et pos<t>ea ruperit, perfectius percurat.

<sup>29</sup> Cf. *cod. Cas.* 69 p. 441b Nr. 617.

Aet. 16,37.1 (p. 348 Romano)

πρὸς τὰς τῶν μαστῶν φλεγμονάς, Φιλουμένου.

Χήσαμον λειότατον ποιήσας καὶ βουτύρου αὐταρκες μίξας καὶ μετρίως χλιάνας, κατάπλασσε δις τῆς ἡμέρας· εἰ δὲ ἐπιμένει ἡ φλεγμονή, καταπλάττειν τὰ ἐντὸς τοῦ ἄρτου βεβρεγμένα ὕδατι καὶ λειωθέντα, εἶτα χωρὶς λειώσας περδικίου<sup>30</sup> βοτάνης φύλλα ὡς εἶναι, τῆς μὲν βοτάνης μέρος ἓν τοῦ δὲ ἄρτου μέρος β'. καὶ κηρωτῆς ἀπαλῆς μέρος ἓν ἡμιου, θεράπευε δις τῆς ἡμέρας· τοῦτο δὲ καὶ μετὰ κύρρηξιν [τοῦ ἀποστήματος] εἰς τέλος θεραπεύει.

Hic quoque uerba Graeca a Latinis quodammodo discrepant; nam errore quem iam saepius supra deprehendimus δις τῆς ἡμέρας perperam uersum est 'duobus diebus', et herbae nomen Graecum in exemplari eius qui uertit περδικιάς fuisse uidetur, non περδίκιον, quod nunc apud Aetium legimus.

Iterum in Oribasio Latino et apud Aetium et altera compositio Philumeni seruatür similis materiae:

Orib. lat. Aa p. 385,5 Mol.

Ad duritias mamillarum de inflammatione generatas cataplasma:

Lini semen farina cum aceto et mel<le> coquis aut feni Graeci similiter aut sesamum non lauatum [laba- cod.], frixum et tritum cum mel<le> mixtum inponis.

Aet. 16, 38.1 p. 350 Romano

πρὸς τὰς σκληρυμέας φλεγμονάς μαστῶν. Φιλουμένου.

Λινόσπερμα μετ' ὄξυμέλιτος ἐνήσας, κατάπλαττε· ἢ τῆλιν ὁμοίως ἢ χήσαμον ἄπλυτον φρύζας βραχὺ καὶ λεάνας μετὰ μέλιτος, ἐπιτίθει **θερμόν· ἢ κουνείαν λευκὴν προαναλαβὸν τερρεβινθίνῃ, ἐπιτίθει θερμήν.**

Haud scio an is qui Philumenea Latine reddidit sterco caninum propter uerecundiam quandam omiserit, aut quod non Aetii, sed ignoti cuiusdam auctoris uerba uerterit. Quod uerisimilius uidetur propter ea quae in Oribasio Latino sequuntur (p. 385,7 Mol.) et quae in Oribasii eclogis medicamentorum in ipso fine capitis 136 (136,7) extant (p. 300,2 Raeder), nam praecedunt uerba tam apud Aetium quam in eclogis Oribasii (136,6) transmissa. Uterque enim locus excipitur capite 137 eclogarum Oribasii, quod optime conuenit cum Oribasio Latino, sed satis differt a capite 39 libri 16 Aetii. Ergo ipsi inspiciatis, primum eclogarum 136,7 Latine uersum, deinde eclogarum caput 137:

Orib. lat. Aa p. 385,7 Mol.

Item ad inflammationes: cera, axungia, Colofonia, <h>yoscyami folia, oliuae folia <pondera> aequalia. Folia teris, soluta supermittis et uteris.

Orib. ecl. 136,7

Φλεγμοναῖς δι' ὕοσκυάμου. Κηροῦ, στέατος χοιρείου, κολοφονίας, ὕοσκυάμου φύλλων, ελαίου γλυκέος ἴσα. τὰ τηκτὰ ἀναξύσας μίγχε τοῖς φύλλοις προλελειωμένοις.

<sup>30</sup> 'pernice vegetale' uertit Romano p. 349, quod haud scio an ab Italis usurpetur, qui frequentius uoce 'parietaria' utuntur.

Pro ἐλαίου γλυκέος Oribasius Latinus habet ‘oliuae folia’, transtulit igitur ἐλαία φύλλα, id quod mihi propter ἴσα quod sequitur magis arridet; ceterum uix mihi persuadeo oleum post folia positum esse, cum similia (dico ceram, axungiam, Colofoniam) praecesserint. Et alterum errorem facile deprehendimus in textu Graeco, qui quomodo Raederum fugerit mirum est, nam τὰ τηκτά soluuntur, ergo scribendum es ἀναλύσας.<sup>31</sup>

Iam transeamus ad reliqua, id est mammas pure distentas ideoque ferro incidendas:

Orib. lat. Aa p. 385,9 Mol.

Quod si pus fecerit, incidet. Quae autem nimis humida sunt uulnera, etiam carne circumcisa auferis ut non cito sanet [sanit *cod.*], et motaria uteris. Licet in omnibus uulneribus non expediat stricta mittere motaria, maxime tamen in mamillis non expediunt constricta esse – ex his enim syringia generantur –, sed laxa et mitius inmissa esse oportet [-tit *cod.*]. A die autem tertio utere basilicon emplastrum cum uino aut pentat<h>eon emplastrum aut Macedonicum. Motaria [mut- *cod.*] autem superponis munda, et ut citius carnem producas et glutinentur quae caua sunt, colletico uteris Galieni fea (φαία) aut <h>alieos<sup>32</sup> et supra ponis spongia [spongea *cod.*] cum uino.

Orib. ecl. 137,1

Περὶ χειρουργίας ἀποστάσεως ἐν μασθοῖς καὶ θεραπείας.

Εἰ δ' ἀποστάσεως γενομένης δεῖται χειρουργήσαι μασθούς, τὰ μὲν πλαδάρὰ περιαίρει κόματα ὡς ἐπὶ τῶν λοιπῶν ἀποστημάτων, καὶ διαμότου ὡσαύτως· εἰ δέ τις ἐπιδέχεται διαιρέσεις, καὶ διαμοτώσει θεράπευε, φυλασσόμενος ἐπὶ πάντων, μάλιστα μέντοι ἐπὶ μασθῶν, σφηνοῦν τοῖς μότοις (ἐκ τούτου γὰρ κυριγγούνται), ἀλλὰ πρῶτος παρατιθέναι. χρῆσθαι μὲν οὖν ἀπὸ τῆς διατρίτου ἤτοι τῷ βασιλικῷ μετ' οἴνου ἢ τῷ πενταθέτῳ ἢ τῷ Μακεδονικῷ. μετὰ δὲ ταῦτα ἀνακαθάρας χλωρῶ καὶ σαρκώσας θεράπευε κολλητικῶς χρώμενος τῇ Γαληνείῳ φαίᾳ, καὶ ἐπάνω σπόγγῳ μετ' οἴνου. ποιεῖ δὲ καὶ ἡ δι' αἰρῶν<sup>33</sup> καλῶς.

Suspicio in exemplari Graeco quod illi qui Latine uerteret praesto erat, pro ΚΟΛΛΗΤΙΚΩΣ scriptum fuisse ΚΟΛΛΗΤΙΚΩΙ, nam reliqua optime Latine reddidit, omissis tantum in fine quibusdam.

## V.

Ab Hippocrate incipere non solum medicos Graecos, sed etiam Romanos, hocque fundamento niti hodiernos quis nescit? Itaque de Hippocrate quaedam subiungere uisum est. Qui nobis occurrit in capite decimo libri octaui *Synopseos*, ubi de cerebro inflammato agitur. Sed hoc caput apud Oribasium perbreue, quod duodecim

<sup>31</sup> Idem mihi uidetur in loco simili Orib. ecl. 136,3 p. 299,25 Raeder.

<sup>32</sup> alieos *cod.* (άλιέως = piscatoris). Cf. Aet. 16,39 p. 352 Romano ἡ τοῦ ἀλιέως κίρρα ἢ χωρὶς ὄξους σκευαζομένη.

<sup>33</sup> Lolium temulentum.



uersibus alterius columnae legitur in uersione Latina recentiore, excedit trium paginarum ambitum in uersione antiquiore codicis Parisini lat. 10233, qui quamquam a textu Graeco Latine uerso oriatur, mox ad alia euagatur, quae sunt haec:

Orib. lat. Aa p. 217 Mol.

Inflammatum enim cerebrum [-brus *cod.*], et de hoc ipso <H>ippocrates commemorauit flegmone plenius in secundo libro, ubi de passionibus scribit [*Hipp. morb. 2,23*].<sup>34</sup> Memorauit [-abit *cod.*] autem in C[h]oa<co> prognostico [*Hipp. Coac. 183*] dicens, cerebrum nimis dolentes [-tem *cod.*] in tribus diebus aut in septem die<bu>s moriuntur; hos autem si transierint, euadunt.<sup>35</sup> His ergo superueniens uapor<sup>36</sup> diuisa inueniuntur capitis ossa, quod in libro passionum cum aliis signis exposuit plenissime, dicens: quando cerebrum [-brus *cod.*] intumescit de inflammatione, dolores habe<n>t nimios totius capitis, maxime autem, si cum [com *cod.*] inflammatione sit; consistunt in temporibus, et obtusas habe<n>t aures ad audiendum et uena<e> extenduntur [stenduntur *cod.*] et pulsant cum febre. Interdum et rigores habent, et dolores nullo modo minuuntur, sed stant infixi aut certe augmentantur, et uociferant et gemunt a dolore nimio, et ex<s>urgens de lecto mox iterum festinat ad lectum, reuertitur cadens.

Omissis iis quae sequuntur et tam ex Oribasio Graeco pendent quam ex fonte ignoto (cui debentur quae supra exscripsi), uideamus curas in fine huius capitis positas:

Orib. lat. Aa p. 219,2 Mol.

Radis ergo caput et cataplasma de pane aut de farina cum aqua et oleo cocta inponis aut de lini semine similiter factum et non satis calida adponis. Urgente igitur malo sine <uoce><sup>37</sup> efficitur et catoc<h>us et suffocatio, acrioribus est fumentandus et cucurbitae inponendae [cucurbitas inponendas *cod.*] sunt, sicut in synanc<h>e[s] consueti sumus ponere; una enim haec et illa causa est, sed loco differ[en]t, quod<sup>38</sup> enim ad fauces opus est fieri. Nam in hac passione aliqui mox in principio [primo *trad., correxi*] uentrem soluerunt, quod nos iam in declinatione[m] fieri iubemus, et maxime simplici [-ce *cod.*] dato medicamine quod uomicam faciat. Optimum autem est<sup>39</sup> et urinam prouocare in initio et postea, sed non sint acria diuretica; sorbitiones [sorui- *cod.*] autem ptyसानae sucos et †athineu†<sup>40</sup> quam plurim<a>e. Quo<d> si inflammatio in pus fuerit uersa [bersus *cod.*] et cito per aurem erumpit, fuso igitur pure lauanda est auris uino dulci [-ce *cod.*], aut de lacte cum lycio et oleo uetere lauabis [lababis *cod.*], et fumentabis caput molli fumentatione et odoramentis suauibus [suabi- *cod.*] reficis ut cito purgetur cerebrum [-brus *cod.*]. Vitandus est sol, uentus, ignis, fumus, acri

<sup>34</sup> Locos Hippocraticos amicissimo officio praebuit Paulus Potter (siue Figulus) Londinensis apud Canadienses.

<sup>35</sup> De hominibus post tres uel septem dies saluos tacet

Hippocrates, ut nunc legitur.

<sup>36</sup> nominatiuus absolutus.

<sup>37</sup> ut et mutus efficitur Par. lat. 9332 (secundum Mol.). Cf. Cael. Aur. cel. 2,10,61 p. 168,5 ... fiant catochae uehementes, ut etiam sine uoce capiuntur aegrotantes.

<sup>38</sup> id est synanche?

<sup>39</sup> om. Mol.

<sup>40</sup> anethinae?

odores et his similia, et in requie habere, molles utere cibos et secundus habendus est uenter. In his ergo haec est curatio.

## VI.

Hactenus fragmenta congesimus in libris *Synopseos* Oribasii tradita, nunc uel unum proponam ex *Euporiston* libro quarto, ubi uersio quae dicitur recentior in capite de ictero (4,99) nomen Rufi (Ephesii, ut putandum est) habet:

Orib. lat. La p. 611,5 Mol.<sup>41</sup>

Rufus uero ad ictericos hoc modo dabat catharticum: scammonia cum aloe et colocynthida<sup>42</sup> et camellea permixta dabat et sic citius amputabat facilius passionem.

Mirum est haec uerba in editione operum omnium Rufi a Darembergio et Ruelio curata desiderari, neque leguntur in libro Rufi de ictero Arabice et Germanice edito ab Manfredo Ullmann Tubingensi. Traduntur autem, omisso nomine auctoris, a Paulo Nicaeo:

Paul. Nic. 62 l. 18 Ieraci Bio

καὶ σκαμμωνία δὲ μετ' ἀλόης καὶ κολοκύνθης καὶ ἡ χαμελαία.

Ultimum ne uerborum congerie mea nimium lassemini, adiungam exemplum quod libro ultimo *Synopseos* Oribasii Latini additum inuenimus iterumque Rufum auctorem introducit:

Orib. lat. La p. 398,39 Mol.

Rufi auctoris [-res *cod.*]. Conficis sic: axungia uetus reliquata calicem unum, laricem calicem unum, butyrum calicem unum; haec omnia misces ad ignem, in unum factum unguentum uteris.

Haec compositio spectat ad podagram, uitium quo maxime ii uexantur, qui gulae illecebris persuasi carne nimia uinoque utuntur. Rufi liber de hac re scriptus quamquam Latine uersus exstet uno tantum codice seruatus, hoc unguentum frustra quaesiui.

<sup>41</sup> Codicem hic non inspexi.

<sup>42</sup> Cf. Esc. 34,15 Manz.

Amministrazione e abbonamenti  
FABRIZIO SERRA EDITORE, Pisa · Roma  
Casella postale n. 1, Succursale n. 8 · I 56123 Pisa  
Tel. +39 050 542332 · Fax +39 050 574888  
fse@libraweb.net · www.libraweb.net

Uffici di Pisa: Via Santa Bibbiana 28 · I 56127 Pisa  
Uffici di Roma: Via Carlo Emanuele I 48 · I 00185 Roma

\*

Autorizzazione del Tribunale di Pisa n. 42 del 21 dicembre 2007.  
Direttore responsabile: FABRIZIO SERRA.

\*

Sono rigorosamente vietati la riproduzione, la traduzione, l'adattamento, anche parziale o per estratti, per qualsiasi uso e con qualsiasi mezzo effettuati, compresi la copia fotostatica, il microfilm, la memorizzazione elettronica, ecc., senza preventiva autorizzazione scritta della *Fabrizio Serra editore*<sup>®</sup>, Pisa · Roma.  
Ogni abuso verrà perseguito a norma di legge.

All forms of reproduction, translation, adaptation, whether partial or for offprints, for any use whatsoever and carried out by any means whatsoever, including photostatic copies, microfilms, recording, electronic memorization or any other informations storage system, etc., are strictly forbidden, unless prior permission is obtained in writing from the *Fabrizio Serra editore*.

Any breach of the law will be dealt with according to the legislation in force.

Proprietà riservata · All rights reserved  
© Copyright 2009 by *Fabrizio Serra editore*<sup>®</sup>, Pisa · Roma.  
Stampato in Italia · Printed in Italy

\*

ISSN 1973-5049  
ISSN ELETTRONICO 1974-4870  
ISBN 978-88-6227-138-7

## SOMMARIO

Prefazione	9
Nicoletta Palmieri, <i>L'Ippocrate latino tardoantico: qualche esempio di bilinguismo imperfetto</i>	11
Klaus-Dietrich Fischer, <i>De auxilio librorum latinorum in memoria scriptorum graecorum de medicina adhibendo</i>	27
Franco Giorgianni, <i>Tradizione e selezione del corpus hippocraticum nel de corporis humani fabrica di Teofilo</i>	43
Oliver Overwien, <i>Die Bedeutung der orientalischen Tradition für die antike Überlieferung des hippokratischen Eides</i>	79
Peter E. Pormann, <i>Al-Kaskarī (10th cent.) and the quotations of classical authors. A philological study</i>	105
Stefania Fortuna e Anna Maria Urso, <i>Burgundio da Pisa traduttore di Galeno: nuovi contributi e prospettive. Con un'appendice di Paola Annese</i>	139
Anna Maria Ieraci Bio, <i>Galeno e lo ps. Alessandro di Afrodisia in due lyseis di Giovanni Argiropulo</i>	177
Christina Savino, <i>Dare ordine a Galeno. L'edizione di Giovanni Battista Rasario, (1562-1563)</i>	187
Ivan Garofalo, <i>Il falso commento di Galeno al de humoribus e un saggio di edizione del vero</i>	201
Amneris Roselli, <i>Testi medici greci. Tradizione indiretta e pratiche editoriali</i>	219
Indice dei manoscritti citati	235